



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 79. Responsum Electoris Saxonici

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

suos infra præfixum tempus revocandos compelleret, vel illum Romanæ Curiaë Ministris traderet, si vero hæreticis suis opinionibus contumax insisteret, eundem saltem e Saxonia expelleret. Ceterum Papa Hieronymo Aleandro Eckium quoque Doctorem adjungebat, eo consilio, ut ambo junctis viribus, Religionis causam in Germania, si possent, concluderent, ac tandem dirimerent; quapropter Hieronymus hac de re Electorem certiore fecit, enixe rogans, ut sua eos familiaritate honoraret, atque ad peragenda Apostolica jussa illos consilio, & ope juvaret.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1520.

Raynald. hoc  
ann. n. 60.

§. LXXIX.

*Responsum Electoris Saxonici.*

Verum Elector horum preces flocci pendebat, nimio in Lutherum affectu captus, & quamvis tum verbis alienum ab eo animum ostenderet, nec palam se ejus fautorem profiteretur, nihilominus fat aperte monstrabat, nolle se, aut Lutherum carceri dare, aut eundem Curiaë Romanæ tradere; quapropter Aleandro hoc duntaxat responsum dedit, maximi ponderis rem id esse, proin maturam exposcere deliberationem, se quid hac in re decrevisset, nunciaturum. Tertia effluebat dies, qua scripto animi sui propositum

Raynal. n. 6.

Ulemb. l. c. c. 5

Sæcul. XVI  
A.C. 1520.

positum Aleandro aperuit, dicens; quod talia a me petantur, nimium mihi videtur: importuna quoque est huic negotio Eckii præsentia; hic enim alios etiam in communem cum Luthero causam involvit, idque vero permolestum mihi accidit, nec ullo pacto tolerandum censeo, de cetero errores, si quos Lutherus docuit, nunquam approbabo, solidis tamen argumentis ex S. Codice petitis hic Monachus prius convinci ac confutari debet, si tum se submittere recusaverit, nunquam eidem patrocinator; Papam vero haud latere potest, me Cajetano obsequendi gratia decrevisse, quod Lutherum ab universitate Wittembergensi excludere velim, sed Miltizii Pontificii Legati precibus victus sententiam mutavi; jam vero mihi integrum haud est, eundem expellere, instantibus imperii comitiis, in quibus totum negotium agitandum erit, his addebat, nulla hucusque sententia in Lutherum a Cæsare fuit pronunciata, nec idem indicta causa ab eo damnari potest, ego autem pro parte mea nil eorum omittam, quæ pro Christiani, Electoris, ac filii Ecclesiæ addictissimi munere ac debito præstare teneor. Ex hoc responso Aleander sat aperte cognoverat, nil boni de Electore sperandum esse, quocirca e Saxonia excedere statuit.

§. LXXX.